



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partium Semitas seu partes, & Fasciculum
Myrrhæ

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

cap. 3. De Virtute Religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49363)

Epist. 62.

quid nimirum, si crescat etiam debitum? *Semper dicitur Charitatem*, ait S. Augustinus, *Nec cum reddere amittitur; sed potius reddendo multiplicatur: habere enim redditur, non carendo.* Cujus adhuc duas assignat rationes S. Thomas. Prima sumitur ex debito præcepti: semper enim nos obligat præceptum Charitatis: *Hoc est præceptum meum, ut diligam inquit.* Secunda delimitur ex causa Amoris proximi: qui amamus proximum nostrum propter Deum, *qui sufficienter pensare non possumus.* Discamus ergo ab Apostolo quodcumque aliud excutere debemus, citans sanguinis, opum mundanarum versus proximum nostrum: conservantes duntaxat debitum & obligationem veræ Charitatis, diligentes proximum propter nullam aliam obligationem, quam propter causam quam ipsamet apportat Charitas, & verus quæ sit Amor Dei.

1847.15.

CAP. III.

De Virtute Religionis.

1. **R**eligio est virtus quædam glorificativa Dei, inclinans ad cultum debitum Deo tribuendum, propter summam ejus excellentiam, perfectissimamque eminentiam in omni genere perfectionis, quam in se ipso continet, tanquam Primum, Increatum, & Divinum Esse, tanquam Primum Principium, & Ultimum omnium rerum Finis. Et per consequens incitat etiam ad dandum id, quod competit ei caritate, quod est vilitas, humilitas & contemptus: proportionate utpotè attributa propriæ ejus subjectioni, dependentiæ ac proprio ejus nihilo. Hoc tributum seu cultus duobus modis Deo, attribui potest: vel actibus internis intellectus & voluntatis, quemadmodum exhibent Angeli in cælo: vel actibus etiam externis corporis, in quantum illi dependent ab internis, & lo-

horum significatiui. Insuper cultus internus duobus modis exerceri potest: aut explicitè, verbo mentali intellectus profitendo excellentiam Dei, & nostram vilitatem: aut implicitè, perficiendo aliquem actum, seu internum, seu externum, quo significare, & profiteri intendimus independentiam Dei, & nostram dependentiam.

1. Hæc virtus ab aliis secernitur. Primò à Theologia: quia Religio totum suum objectum adæquat, quantum ad partem materialem & formalem, habet extra Deum, & respicit solum Deum, tanquam finem, aut, ut cum Theologis loquamur, tanquam objectum (*cui*); at virtutes Theologicæ necessariò respiciunt Deum, ad minus tanquam motiui & objectum suum formale.

Distinguitur etiam Religio ab Humilitate: etenim hæc inclinatur ad propriam vilitatem, ut potè propriæ personæ convenientem; at Religio eadem, tanquam Divinæ Excellentie significativam & protestativam respicit & contemplantur.

Denique distinguitur à Sanctitate, tanquam inclusivam ab includente: nam Sanctitas dicit totum id, quod dicit Religio, & insuper addit obedientiam internam menti, offerendo non solum sua, sed etiam se. Unde, ut bene notat Cajetanus, *omnes Sancti sunt Religiosi; non è contra, omnes Religiosi sunt Sancti? quia qui sacrificiis vacant, Religiosi sunt, non vero Sancti, nisi seiplos etiam inuisiculis Deo applicent.*

3. Ab hac essentia & natura virtutis Religio- nis dependent proprii actus proportionati, & sunt tres.

Primus est actus intellectus, quo cognoscitur Divina Eminentia, & proprium nihilum: quodque à Deo, tanquam à primo Principio omnia producantur ac conseruentur, & creaturæ quò ad omnia à Deo dependeant, & in esse, & in operari: sibiipsis verò relictæ in nihilum redigantur.

Secundus

Secundus est actus voluntatis, quo volumus ad interno reverentiam & honorem Deo debitum.

Tertius est actus potentiae executivae, quo eodem eundem profitemur finem concurrentibus actibus externis inclinationum, genuflexionum & prostrationum.

Verum est, quod virtus Religionis essentialiter consistat in secundo actu; sed necessario etiam supponit primum, & per tertium completur & perficitur.

q. 82. a. 1.
Cajet.

Præterea Devotio est actus elicited à Religione, quæ eidem, cui Religio, inest potentiae. Oratio, Adoratio, Sacrificium, Votum, Juramentum virtutes huiusmodi actus quoque sunt, sed imperati; & quia nos pertinent ad alias virtutes, Religionis proprii dicuntur actus. Ultra hos, cæteri virtutum actus à Religione quoque possunt esse imperati, cum eosdem ordinat ad proprium finem Gloriam Dei.

4. Ex his actibus Religioni propriis dignoscuntur actus contrarii & oppositi, quales sunt actus superstitionis, quæ est vitium virtuti Religionis contrarium.

S. Th. q. 94.

Superstitio tres habet partes, & sunt, Idololatria, Divinatio, vana Observatio. Enimvero Religio in ordine ad Deum tres respicit fines, qui sunt, Reverentia, Instructio, Directio. Idololatria est contraria primo fini: quia reverentiam & honorem Deo debitum & proprium transfert ad creaturas. Divinatio est contraria secundo fini, eò enim ipso, quod Deus consulendus erat in re dubia, consulitur Dæmon cum patet explicito, vel implicito. Observatio vana tertio fini opposita est: quia in medijs ex se insufficientibus quaerit efficaciam interveniente Dæmonis invocatione tacita, aut expressa. Et hæc de naturâ virtutis Religionis. Ad modum, quo in praxi redigenda est, progredimur, ut sic nostro cum merito & profectu spiritualem eandem exerceamus.

q. 82. a. 1.
Cajet.

5. Principalis virtutis huius actus à nobis exercendus est actus ille Devotionis, quæ est prompta quædam voluntas ad omnia pertinentia ad servitium & gloriam Dei. Causa huius Devotionis, juxta Sanctum Thomam est

contemplatio Bonitatis, Divinorumque beneficiorum :
 inchoatur Amor, immediatum Devotionis princi-
 pium : nam prompta deferuntur obsequia amico, qui
 amatur: ex nostrâ deinde parte est consideratio proprio-
 rum defectuum. Ex hac Devotione, veluti ex causa pro-
 generatur affectus, & gaudium spirituale, non propter
 tantum duntaxat considerationem Dei; verum etiam
 propter secundam defectuum nostrorum contempla-
 tionem. *Quia est tristitia secundum Deum, quam com-
 paratur gaudium, secundum illud Augustini : Doleat, & a.4. Cajet.,
 et delectare gaudeat : propter quod de Sanctis legimus, quod
 hilaresque erant, & meritis, utpote inchoantes in Terris
 castam Conversationem.*

Præterea, sicut Religio est virtus quædam immediatè
 virtutes subsequens Theologicas, & superior cunctis
 virtutibus moralibus; ita simul exercenda est cum
 illis, præsertim una cum Charitate: amando Deum
 cum Charitate, cum Religione eidem serviendo, am-
 plendo Deum, tanquam finem, cum Charitate:
 creaturas omnes ordinando ad Deum per actum Reli-
 gionis. Quapropter servitus imperata à Religione non
 est servitus Timoris, servitus coacta per timorem pec-
 catorum; sed servitus Amoris, servitus libera, infer-
 tas Deo: quia hujusmodi servus amat eum tan-
 quam amicus, juxta dictum Christi: *Non dixi vos servos, Ioan. e. 15.
 sed amicos.*

Motivum & ratio servientis hujus est nobilitas Na-
 turæ Divinæ, superioris, & in infinitum excedentis
 omnium rerum creaturarum universitatem, in ratione Primi
 Principij. Enimverò, si superioritas accidentalis, ve-
 niunt sane: nobilitas, divitiæ, sapientia sufficientia
 motiva sunt ad inducendos titulos servitutis & Dominij
 super homines; quanto magis superioritas essentialis,
 quæ Deus prædicus est, cunctisque prædominatur
 creaturis, sufficiens erit titulus, ratione cujus omnes
 creaturæ obligantur eidem debita præstare obsequia
 & servitia.

Et tametſi *Servitus* (ut benè advertit S. Thomas) *Rom. 1.
 est absoluta conditio; nihilominus ex additione (Dei) Lect. 1.
 redditur commendabilis. Esse servum absolute, est vile
 & ab-*

& abjectum; sed esse servum Dei, est quid dignum & nobilissimum; etenim accipit nobilitatem & valorem à personâ, cui servit. Propterea Apostolus de hoc solo gloriabatur: *Paulus servus JESU CHRISTI.* Verùm, hæc servitus Dei, ut sit perfecta; totalis sit, necesse est, ita, ut eam complectatur, & nulla remaneat pars in homine, quæ non se Divino impendat servitio. Quamobrem, ut bene docet S. Antoninus, servitium est cultus Dei, debet esse quintuplex: *Cultus cordis, Cultus oris, Cultus operis, Cultus corporis, Cultus virtutum.* Ac primò cultu cordis debemus recognoscere, revereri, & amare Deum, veluti meretur, eò quod sit primum rerum creaturarum Principium. Secundò, cultu oris à nobis benedicendus & laudandus est, eique gratiæ agendæ sunt propter idem meritum. Tertiò, cultu operis seu actionis Deo omnia opera nostra ad gloriam suam offerre debemus. Quarta, Deo servite tenemur cultu corporis, adorationibus, videlicet, genuflexionibus, prostrationibus, &c. Denique, servite debemus Deo cultu virtutum, nempe, ordinando cunctas virtutes ad finem Religionis, qui est gloria Dei, juxta dictum S. Apostoli Jacobi: *Religio munda & immaculata hæc est: respicere pupillos & viduas, &c.* Actus enim hic actus civitas quidem est à virtute Misericordiæ; sed imperante virtute Religionis. Hujusmodi exercitio se occupant Sancti in cælo (*In templo ejus omnes dicent gloriam*) quoscunque actus, operationesque singulas referunt ad gloriam Dei. Videre Deum, amare Deum, gaudere & frui Deo pro ultimo fine sortiuntur gloriam Dei, cujusvis namque operis honor & gloria à tribui debet suæ causæ principali: &, ut communiter dicitur, *Opus laudat artificem;* ita & nos in cunctis actionibus nostris, in omnibus virtutum actibus, dicimus servitium gloriæ: de quolibet actu bono detur gloria soli Deo, tanquam primæ causæ, non nobis: *Nobis autem confusio faciei nostra.*

Rom. 1.

p. 4. tit. 5.
c. 7.

Lac. 6. 1.

Psal. 18.

Baruch.
c. 3.

CAP